



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 6. Animam ciba.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Diluculo venit in templum. Joan. 8. 2. In templo animarum tractantur negotia; docemur, primam semper animæ habendam curam, & primum regnum Dei querere. Did. Niss. f. 6. post D. 3. Quadrag.

Scio, quia resurget. Jo. 11. 24. S. Chrysol. f. 63. Qui ad Lazarum venerat, quid sic occupatur in Martha? ut antè ista in fide resurgeret, quàm ille resuscitaretur in carne. Prius curabat bonum animæ, quàm corporis. Idem ibid.

Pertransit benefaciendo. Act. 10. 38. Et apud Samaritanam Iesus meus sedet. Jo. 4. 6. hic sedet, illic pertransit. In Samaritana negotium erat de spirituali vita animæ, cui Christus ob infinitam suam Bonitatem maximè intendit; ideoque pro illa sedet, & multa opera impendit. In aliis verò spectabatur solum corporalis fabrica; ideo de illis velut transitorie agebat Sylv. hic.

Vincula, & tribulationes Ierosolymis me manent; sed nihil horum vereor, nec facio animam meam, id est, vitam corporalem, pretiosorem, quàm me, id est, vitam meam spiritualem. Act. 20. 24. Joan. Germiniani l. 8. c. 8.

Octo animæ salvæ factæ sunt. 1. Petri 3. 20. Arca illa typus Ecclesiæ fuerat. Nota emphasim S. Petri, *octo animæ*. Quasi dicat, in illa arca, diluvii tempore, non corpora, sed animas fuisse, hoc est, sola officia, & studia animarum, non corporum viguisse. Bened. Fernand. in c. 6. Gen. sect. 7.

Ex Patribus, & aliis.

Animus magis amandus, quàm corpus. Quid huic adverteratur? sensus. Resistendum ergo sensibus totis animi viribus? liquet. Quid si sensibilia nimium delectent? fiat, ut non delectent. Unde sit? consuetudine iis carendi, appetendique meliora. S. Aug. ep. 151.

Non propterea Deus præsentem nobis vitam præstitit, non animam in hoc corpus infudit, ut hac tantum fruamur vitâ; sed ut totis viribus ad futuram contendamus. Bruta præsentem duntaxat vitæ usui sunt; nos idcirco immortalem animam habemus, ut ad illius vitæ præparationem omnia moliamur. S. Chrysol. hom. 30. in Joan.

Vitam curemus nostram; & neque circa pecunias studeamus, quæ pereunt; neque circa gloriam, quæ extinguitur; neque circa corpus, quod senescit; non circa pulchritudinem, quæ marcescit; non circa delicias, quæ defluunt; sed circa animam, omnem curam impendamus, & hanc omni curemus modò. Id. hom. 8. ad pop. Antioch.

Mira imò miserabilis res. Infirmantur homines in corpore, & statim quærunt sollicitè remedia; infirmantur in anima, & gravissimè; & non quærunt remedia, sed dimittunt se sic ire ad mortem. B. Humbertus serm. 39. ad frat. de ordine Theutonicor.

Si sauci, & morbos corporales depellere cupientes, nullis facultatibus parcimus, etiam si indusum dividendum sit, ut ab infirmitate illa

liberemur; multò magis animæ infirmitatem, & gravissima peccatorum vulnera curemus. Id. tom. 6. f. de verb. Apost.

Si rectè quidam, carnem hanc famulam, animam verò dominam esse, dixerunt; non oportet posteriore nos locò dominam ponere, ac famulam iniquò jure præferre. S. Eucherius ep. parænet. ad Valerian.

O mirabilis cæcitas hominis! qui cum consistat ex anima, & carne; tanquam ex nobili, & ignobili; incorruptibili, & corruptibili; totum tempus suum expendit in provisione miserabilis suæ carnis; animam autem simpliciter negligit, nec de ipsa curat, ac si ipsa nihil esset. S. Bonav. flim. am. c. 1.

Hic est maximus mortalium error; quòd, cum homo ex anima, & corpore consistat, & nobilior multò, principaliorque hominis pars anima sit; hæc contempta, solis nutriendis, vegetandis, impingvandisque corporibus totâ vitâ incumbunt. S. Thom. Vill. f. D. 3. Quadrag.

Christus operatus est salutem nostram 33. annis. Quantum verò temporis dabit resurrectioni corporum? *in momento, in actu oculi.* 1. Cor. 15. 52. *Mortui resurgent incorrupti.* Nimirum animabus diu multumque vacandum, corpori obiter. Did. Niss. D. 4. Pent. §. 5.

Cum comederent panem, Prophetam Iesum vocabant, & regem facere volebant. Jo. 6. 14. Matth. 13. 55 indignati fabri filium dicunt. Et quidem videbantur indignari, quia de cæcis descendisse diceret. Non tamen hæc erat causa, sed quòd corpus non pasceret. Sylv. in Math. 28. q. 5.

§. VI.

Animam ciba.

Sicut adipe, & pinguedine repletur anima mea. Pl. 62. 6. Pingvis anima esse non potest, nisi à Deo pasta nituerit. Sed pingvedo animæ, divinarum rerum scientia est, recta fides, in concessa patientia, & cætera, unde sæculi istius macies jejuna superatur. Cassiod. hic.

Tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis. Pl. 77. 18. In eo offenderunt, quòd animabus escas peterent corporales; nec unam corpori, & alteram animæ, mentem expeterent; sed una, eademque mensâ corporeâ, & corpus, & animam, vellent faginare. Id. ib.

Nonne anima plus est, quàm esca? Matth. 6. 25. Quàm improvidi sunt homines circa animæ bona. ut nihil non meditentur corporale, nihil, præter escas, requirant. Bæza tr. 3. l. 1. c. 9 §. 20.

Anima habes multa bona posita, requiesce, comede. Luc. 12. 19. Tam improvidus est erga bona animæ, ut escas corporeas animæ adscribat. Id.

Obliti sunt panes accipere. Matth. 16. 5. Id est, tunc adverterunt se ex oblivione non sumpsisse panes. Fortè tam occupati fuerant circa cibum animæ, quòd corporalem cibum secum ferre obliti sunt. Dionys. Carthus. hic.

Sicut carni vestræ, ne deficiat, cibos quotidie præbetis; sic mentis vestræ quotidiana alimenta, bona sint opera. Cibò corpus pascitur, pro opere spiritus nutriatur. Quod morituræ carni

tribuitis, victuræ in perpetuum animæ non negis. S. Greg. lib. 4. homiliar. hom. 4.

Ut caro mollibus, sic anima duris, nutritur; illam blanda refovent, hanc aspera exercent; illa delectationibus pascitur, hæc amaritudinibus vegetatur. Id. mor. l. 10. c. 13.

Anima tua vescatur, nè fame pereat. Da illi panem. Quem panem? inquis. Ipse tecum loquitur. Tu si audires, & intelligeres, & crederes Domino, ipse tibi diceret: *ego sum panis vivus, qui de celo descendi.* S. Aug. de Verb. Dom. sec. Lucam ferm. 30. ad finem.

Nonne, si dici ita potest, muti animalis vox ista est: *anima habes multa bona &c.* Luc. 12. 19. Si enim porcinam animam habuisset, quid ei aliud, quàm manducandi, & bibendi, bona auriatere debuerat? nunc autem ita totus animalis homo est, & totus carneus; ut animam suam carnalibus, & corruptibilibus escis existimet esse pascendam & ea, quæ in fecesum egeruntur, animæ præparat ad utendum: Cujus utique naturæ talis est, ut virtutibus alatur, ut verbo Dei saginetur; ut intellectibus piis, & religiosis disciplinis, atque exercitiis excolatur. S. Ambr. l. 8. 1. de hom. divite.

Vis deliciarum? animam pascere; trade ipsi cibos, quorum consuetudinem habet. S. Chrysostr. ad pop. Antioch. h. 54.

Animæ 7. opera misericordiæ exhibe. Cibi cibò Scripturarum: liber apertus est mensa, ibi comedit anima legendo, & contemplando. Item audiendo sermones anima cibatur: prædicator est cocus, & servitor ministrans vobis, quæ paravit in coquina Spiritus Sancti. Pota lacrymis Collige peregrinam, nè se distrahat negotiis secularibus. Redime captivam, quia multis debitis obligata. Vesti nudam virtutibus. Visita infirmam, examinando, quomodo expendisti diem? Sepeli mortuam. Nobilissima sepultura animarum, vulnera Christi, per contemplationem. Jf. 2. 16. *excidisti tibi sepulchrum.* S. Vinc. Ferr. D. 4. post Trinit. f. 3. Vide plura tit. Fides, Opera, Oratio, Verbum Dei.

§. VII.

Anima negligitur à multis.

Ex Veteri, & Novo.

Appositus est ei panis in conspectu ejus. Gen. 24. 33. & ait, *non comedam, donec loquar sermones meos.* Vide locum. Cur Eliezer non cessavit loqui, donec audiet: *en Rebecca coram te est, tolle eam, & sit uxor Domini tui.* Cur non prius, festus, ex itinere, vires reficit? hospitalitate finitur? & tum demum mandata exequitur? absit! *non comedam.* Lyranus hic: in hoc ostendit, habere se negotium impositum sibi cordi. An vos curam animæ non solum necessariæ corporis refectio, sed cuius recreationi, & ludis, antepontis? Quem sic loquentem audivimus? hodie me peccato foedavi, igitur non comedam, nisi toxicum hoc confessione evomero. Mercede pauperem defraudavi; non comedam, nisi ex integro satisfecero &c. Quis ita agit, & loquitur? an non potius hæc animæ negotia in ultimum

locum ablegamus? P. Segneri die Mercurii Dom. 1. Quadrag. ferm. 7.

Rachel autem, & Joseph, novissimos. Gen. 33. 2. Quando Jacob reversus in patriam, ut iram Esau obviam venientis vitaret armati; familiam partitus in turmas, in fronte posuit seruos; Balam, & Zelpham-agmen clausit Rachel &c. quorum hic ordo? Videns se impari resistendo esse; id solum egit, ut, si pereundum foret, non omnem simul familiam periculo objiceret, sed chariora tutiori loco collocaret. Oleaster in 37. Gen. posuit ancillas in principio, ut scilicet iram fratris minus dilectæ exciperent prius. Quò docuit, minus dilectæ pro conservatione eorum, quæ magis diliguntur, esse periculis objicienda. Quid dicam, aut cogitem? dum video vos primo omnium animam vestram periculo objicere, eamque in agminis fronte poni. Nunquid ancilla loco à vobis habetur? peccat illa, modò dignitas familia, bona fortuna, negotia profana, filii, filia, parentes, amici; quin & scorta, equi, & canes salvi sint. O amentiam! Id. ib. Flebat irremediabilibus lacrymis, *heu! heu! me fili mi! omnia simul in te uno habentes &c.* Tob. 10. 4. 5. Pari Zelò Anima cuius sua pensanda foret, ut non nisi periculissimo tutiori eam confidamus. Quid dicam de iis, qui eam demoni ultrò committunt, & ab eo ad omnes damnationis proximæ occasiones adduci sinunt? Dant dilectam animam suam in manu inimicorum ejus; Jer. 12. 7. *Moluntur fraudes contra animas suas.* Prov. 1. 18. *Homo occidit per malitiam animam* Sap. 16. 14. *Fili, serva animam tuam, & da illi honorem secundum meritum suum.* Eccl. 10. 31.

Miserere anima tua Eccl. 30. 24. Salvianus l. 3. ad Eccl. nihil sanè durius vobis dici potest, nihil tam ferum, nihil tam impium; à quibus impetrari non potest, ut vos ipsos ametis. Quis furor est? viles à vobis animas vestras haberi, quas etiam diabolus putat esse pretiosas. Si in damnationem præcipitemini, quis tanta potestatis, aut clementiæ, erit, ut inde vos eripiat? Absolon durò exiliò mulctatus Joab in venit, qui reditum impetravit 2. Reg. 14. 21. Joseph. carceri mancipatus à pociatore Pharaonis in libertatem affectus est, Gen. 41. 9. Jeremias in cisternam projectus, c. 38. 11. Abdemelech nactus est, qui porrecto fune eum extraxit. Animam verò tuam quis extrahet de altitudine ventris? *Eccl. 5. 1. 7. Quis funem porriget? quis brachium extendet? quis icalas applicabit? Qui descenderit ad inferos, non ascendet, nec revertetur ultra in domum suam.* Job. 7. 9. 10. Segneri ib.

Absit in domum suam (Achitophel) & disposita domo sua suspendit se tuerit. 2. Reg. 17. 23. Cur quòd Absolon non adhereret iudicio suo. Cur prius tendit in domum suam? major ei erat cura, & studium de domo sua, quàm de anima: vult enim, ut domus sua sit salva, & integra in hæredum manibus; animam verò suam æternæ damnationi committit Sylv. in Matth. 27. 5. c. 6. q. 4. Disposita domo sua suspensus interit; quasi mallet suum corpus in malam crucem, & animam in infernum chaos præcipitare, quàm suas opes relinquere incustoditas. Mendaza in l. 1. Reg. c. 3.

Adhasis